

## SECTIO II.

## DE POTESTATE CIVILI

EJUSQUE AD ECCLESIAM HABITU.

## CAPUT I.

## DE POTESTATE CIVILI

IN SE SPECTATA.

## §. XCIII.

*Quid potestatis civilis nomine veniat?*

**D**ux sunt supremæ potestates, quæ unicuique Christianorum cœtui præsident, sacra et civilis (§. LXXVIII. LXXIX.) De illa diximus sectione superiore. Restat altera hoc nobis loco curatius evolvenda. Civitatis nomine etiam intelligo hominum sui juris multitudinem, quæ sub communi quodam imperio in unam coit societatem causa securitatis. Nulla igitur civitas est sine imperio, seu jure actiones civium arbitrarias ad communem securitatem tam internam quam externam dirigendi: quod jus etiam majestas appellatur, et jura, quæ imperio civili insunt, majestatica. Is, cui in civitate majestas competit, imperans dicitur.

SCHOL. De summo civitatis imperio, juribusque huic adnexis pro dignitate exponere, nec hujus loci est, nec consilii mei. Habet hæc disciplina magistros suos, à quibus qui volent (velle autem debent omnes, qui utiles se olim patriæ cives præstare cupiunt) eam disce-

re possunt. Quæ à studio nostro abesse omnino nequeunt doctrinæ istius dogmata, ea mihi dumtaxat animus est hoc loco prosequi, et sacrarum litterarum sanctorumque Patrum firmare auctoritate, ut intelligat junior ætas, vanas esse criminationes hominum, qui id sibi datum negotii solum putant, ut quæ nesciunt ipsi, aut privatae rei studio capti aversantur, dum refelle-re non possunt, de novitate accusant, suspecta plerisque in rebus, ut fere ajunt, et ingrata maxime in causa religionis.

## §. XCIV.

*Civilem potestatem à Deo institutam probatur.*

Ex ea, quam nuper instituius duarum potestatum collatione, (§. LXXIX.) confici egregie possunt complura ad civilis imperii majestatem illustrandam peridonea. Atque hoc in primis, quod ipsa etiam naturalis ratio docet (1), civilem Regum potestatem perinde à Deo institutam esse ac spiritualem Pontificum. Quod principatus sint, ait Chrysostomus (2), et quod alii imperent, alii subjecti sint, neque omnia casu ac temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc et inde circumactis divinæ esse sapientiæ dica. Ideo: dicit Apostolus: Non est potestas nisi à Deo. Similiter Isidorus Pelusiota, potestatem, inquit (3), hoc est, imperium et regnum à Deo formatum atque institutum esse profitendum est, ut ne ornatus in statum inornatum degeneret. In eamdem sententiam Theodoretus Cyri Episcopus (4): Deus communis ordinis curam gerens hos quidem imperare, illos vero parere instituit, veluti quoddam

(1) *Irenæus lib. 5. cap. 20. 24.*(2) *Homil. 23. in epist. ad Rom.*(3) *Lib. 2. epist. 216.*(4) *In epist. ad Rom.*



frænum iis, qui injuste agunt, imperantium timorem incutiens. Adeo vero persuasum hoc sanctis Patribus fuit, ut eam plerique non institutam modo divino consilio, verum etiam conferri singulis tam piis quam impiis regibus, et crederent ipsi et docerent. Ut ceteros prætermittam, *Augustinus* hoc in libris de civitate Dei conceptis verbis adseruit (1): *Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum solis piis; regnum vero terrenum et piis et impiis::: Qui Augusto imperium dedit, ipsi et Neroni; qui Vespasianis suavissimis Imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo: et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse apostatæ Juliano.* Non ineleganter itaque *Tertullianus* (2): *Inde est Imperator, unde et homo antequam Imperator, inde potestas illi, unde et spiritus.*

SCHOL. *Nolo ire per omnia veterum scripta, inquit de Marca de concord. sacerdot. et imper. lib. 2. cap. 2. §. 2. ut rem apud illos certissimam probationibus inde haustis evincam adversus eas opiniones, quæ in Aristotelis officina conflata, magno studio etiam à Christianis arreptæ sunt, ut maximum discrimen ex eo capite constitueretur inter potestatem ecclesiasticam et regiam; quum illa ab ipso Christo per manus ordinationis conferatur Episcopis, qui antea suffragiis cleri et populi sunt electi; hæc autem à populis per suffragia in Principem electum transcribi dicatur. Par enim utrique ex hoc capite reverentia debetur; etsi spiritualis in se dignitate præcellat, et ejus origo conceptis verbis in Evangelio à Christo sancita sit: quia perinde in Reges singulos ac in Episcopos hæc auctoritas à Deo immediate derivatur. Ego quidem de hoc mihi nolim à quoquam litem moveri: neque enim repugnabo vehementer, si quis mediate dumtaxat eam in*

(1) *Lib. 5. cap. 21.*

(2) *Apol. cap. 30.*

Reges à Deo auctoritatem derivari contendat. Id monéo, vetustiore multo Illustrissimi Præsulis sententiam esse, quam ut ad Ludovici Bavari tempora revocari possit, ut Bohmero placuit.

§. XCV.

*Et solidam rerum temporalium administrationem illi demandatam.*

Haud minus porro inde perspicuum est, humanarum rerum solidam administrationem regis huic potestati demandatam esse. Ut enim eorum, quæ sunt Ecclesiæ, curam Episcopis imposuit *Christus* (§. XXXVIII.) ita et omnia, quibus civilis societas eique proposita temporalis hominum salus continetur, Regibus à Deo ac Principibus commissa sunt. *Hæc auctoritas ita accipienda est, inquit de Marca* (1), *ut Reges in rebus humanis administrandis nec ipsius ecclesiasticæ potestatis consortium admittant, quæ ita rebus spiritualibus est addicta, ut sine injuria Regum res temporales attingere non possit.* In his vero administrandis, ut nullius alterius humanæ potestatis consortium admittunt, ita Deo soli subsunt Reges, soli illi reddituri olim rationes, quidquid gestum ab iis est, seu recte seu perperam. Quod etsi ipsa cuique propriæ vis rationis persuadere possit, juverit tamen *Patrum* firmare auctoritate eorum gratia, qui quum rationem omnem abjiciunt, hanc repudiare non audent. Itaque *Tertullianus: Sed etiam quod temperans majestatem Cæsaris infra Deum, inquit* (2), *magis illum commendo, cui soli subicio: subicio autem cui non adæquo. Sciunt* (3) *Imperatores quis illis dederit imperium::: Sentiunt eum Deum*

1) *Lib. 2. cap. 2. §. 10.*

2) *Apol. cap. 33.*

(3) *Cap. 30.*



esse solum, in cuius solius potestate sunt, et à quo sunt secundi, post quem primi. Et alio loco (1): Colimus ergo Imperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, et quidquid est, à Deo consequutum, et solo Deo minorem. Hoc et ipse volet: sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est. Cui plane consentit Optatus Milevitanus (2): Super Imperatorem, inquit, non est nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem. Unde vicem Dei agere eleganter dicitur Hilario Diacono in commentario epistolæ ad Romanos (3): Sciant (Christiani) non esse se liberos, sed sub potestate degere: Principi enim suo, qui vicem Dei agit, subjiciuntur. Ob hanc rationem David Rex soli se Deo peccasse aiebat (4). In cuius loci expositione Casiodorus de populo scribit: Si quis erraverit, et Deo peccat et Regi. Nam quando Rex delinquit, soli Deo reus est: quia hominem non habet, qui ejus facta dijudicet. Merito ergo Rex Deo tantum se dicit peccasse, quia solus erat, qui ejus potuisset admissa discutere.

SCHOL. Quæ etiam S. Ambrosii et ceterorum omnium interpretatio est. Vid. Du-Pin antiq. Eccles. discipl. diss. 7. cap. 2. §. 2. Scite igitur Gregorius Turonensis lib. 5. Hist. Franc. cap. 19. Si quis de nobis, inquit, o Rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest. Si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse Justitiam? Nam quia dispensationes rerum temporalium Regibus attributæ sunt, (scribit S. Ivo epist. 171.) et Basilei, id est, fundamentum populi et caput existunt; si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt à nobis graviter exa-

(1) Lib. ad Scap. cap. 2.

(2) Lib. 3. cap. 3.

(3) Cap. 13. v. 1.

(4) Psalm. L. v. 1.

sperandi, sed ubi Sacerdotum admonitionibus non adqueverint, divino judicio sunt reservandi.

## §. XCVI.

In qua si delinquent, à solo Deo puniri possunt.

Ex hoc autem confectum esse plane arbitror, Regem in rebus publicis administrandis delinquentem pœna temporali adfici non posse, nisi à Deo solo, cuius solius judicio sancti eum Patres subjectum esse tradiderunt. (§. XCV.) Idem Cassiodorus, qui negavit in his terris quemquam esse, qui Regis possit admissa discutere, eundem etiam à solo Deo puniri posse præcipit: Quia Rex omnibus superior est, et à Deo solo puniendus. Quod ipsum et S. Ivo adserit; nam quum Reges dixisset divino judicio reservandos, ubi sacerdotum admonitionibus non adqueverint, continuo subjicit: Ubi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii. Eandem habet Otto Frisingensis in epistola ad Fridericum Imp. Soli Reges utpote constituti supra leges divino examini reservati sæculi legibus non cohibentur. Unde est illud tam Regis quam Prophetæ: Tibi soli peccavi. Quod ipsum Davidis dictum Innocentius III (1) in rem nostram ita est interpretatus: Sic diceret manifestius; peccatum meum tibi soli relinquitur puniendum, eo quod non alium habeam superiorem, qui me possit punire, quum ipse sim Rex: Aliud est in aliquem peccare, et aliud alicui: in aliquem peccat, qui committit in illum offensam: alicui peccat, qui ejus subjacet ultioni. Rex utique soli Deo, et ceteri vero et Deo peccant et Regi. Ex quo loco in hunc sensum ab antiquis omnibus Ecclesiæ scriptoribus explicato manifestissimum est, in solius Dei esse potestate Reges, et ab eo solo acta horum

(1) In Psalm. psalm. IV. (3)



judicari, prava corrigi, ac pœnis temporalibus coërceri posse.

SCHOL. Nihil autem est, quod nonnulli hæc ad statum veteris legis ita pertinere contendunt, ut ad hunc legis novæ transferri minime debeat. Hoc, inquam, nihil est; quippe sancti Patres, ut recte observat Du-Pin, ex hoc loco non tantum concludunt Reges Israël haud fuisse subditos Sacerdotibus judaicis, sed universim Reges nulli nisi Deo subjectos esse, quod et ipsum sonat scripturæ locus. Dum enim dicit David, se soli Deo peccare, satis indicat, regalem potestatem in causa esse, ut à solo Deo pendeat, non autem sacerdotii judaici imperfectionem::: Nam quod nonnulli nugantur rationem discriminis inter vetus et novum testamentum hanc esse, quod in antiquo fœdere regnum sacerdotale fuerit, in novo vero sacerdotium regale; puerile plane commentum est, quod refutatione non indiget. Nec enim verum est, aut Reges veteris legis fuisse Sacerdotes, aut Sacerdotes novæ legis esse Reges. Nec illud pertinet B. Petri dictum: Vos autem estis regale sacerdotium, gens sancta: quod de omnibus omnino Christianis dictum est. Diss. 7. cap. 2. §. 2.

§. XCVII.

*Non autem ab Ecclesia.*

Errant itaque procul omni dubio tam illi, qui majestatem nescio quam realem commenti populo coërcendorum Regum potestatem faciunt, si qua in re delinquant atrocius (1), quam hi etiam, qui à conciliorum quorundam sanctionibus inducti (2), et factis paucorum Pontificum moti (3) eam Ecclesiæ auctoritatem obtrudunt,

(1) Scheidemanfel jus pub. part. 1. sect. 1. cap. 1. §. 65.

(2) Anti-Febr. vindicat. part. 1. diss. 2. cap. 5. §. 5.

(3) Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. cap. 8.

ut non punire tantum Reges, verum regnis etiam exuere, et liberare subditos possit nexu, quo Principibus suis ac patriæ adstringuntur. Obtrudunt, inquam, invitæ ac reluctanti. Novit enim illa traditam sibi à Christo potestatem totam esse mere spiritualem, (§. XXXV.) animarum saluti procurandæ addictam, (§. XXXVIII.) non rerum humanarum administrationi, quam integram ac solidam Regibus à Deo commissam non ignorat. (§. XCV.) Novit illa porro, summos rerum publicarum Rectores, etsi fideles, Principes tamen esse majestate instructos soli Deo subjecta, (§. XCIV.) qua si abutantur, à Deo solo puniri possunt. (XCVI.) Novit denique imperium in se collatum esse imperium lene, non violentum, (§. LXXVI.) cujus vis summa in excommunicando sita est, (§. LXXI.) id est, spiritualium bonorum privatione, (§. LXXII.) non in adimendis iis, quæ quis non ab Ecclesia, sed à civitate obtinuit. Hæc, inquam, omnia et novit Ecclesia, et credit; et non tam verbis quam rebus ipsis et factis publice aperteque professa est. Cur igitur infamamus illam commentis nostris, quibus non indiget? Cur tam anxio studio propugnamus sententiam, quam omni retro antiquitati inauditam ævi mediæ calamitas illustri quidem, sed tristi ad memoriæ exemplo primum consecravit? (1) an nihil nos movent tot mala? nihil fusus largiter humanus sanguis? nihil liberorum adversus parentes bella? (2) nihil structæ à fanaticis vitæ Principum insidiæ? nihil tot aliæ calamitates, quas hæc una opinatio peperit? Non sunt tam iniquus ego, ut impia hæc consecraria doctissimis adversæ sententiæ patronis probari censeam. Sed cum hæc non sine quodam horrore leguntur, cur non abjiciunt ratiocinia, cur tantopere confidunt factis quibusdam, quæ, ut alicubi Natalis Alexander ait, ad parricidalem et impiam conclusio-

(1) Natal. Alexander sæc. XI. diss. 2. art. 9.

(2) Pereira diss. histor. de gestis ac scriptis Gregor. in Henr.



nem vel invitos compellunt? Conf. Fleurius *diss.* 3. ad *Hist. eccl.* §. 18.

SCHOL. Non possum itaque, quin communem gallicani cleri de potestate ecclesiastica declarationem anno superioris sæculi octuagesimo secundo editam vehementer probem: *Reges scilicet et Principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ potestati subjici, neque auctoritate clavium directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide atque obedientia ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse: eamque doctrinam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ, quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, et Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam esse.* Quam doctrinam jam ante erudite propugnata à Wilhelm. Barclajo *in lib. de potestate Papæ in temporalia Principum*, et Joanne Barclajo Wilhelmi filio *in vindiciis pro Regibus ac Principibus adversus Bellarminum*, egregie præ ceteris prosequutus est Illustrissimus Bossuetus Episcopus Meldensis quatuor libris prioribus immortalis operis, quod *defensionem declarationis cleri gallicani de ecclesiasticâ potestate* inscripsit. De eodem argumento præter Natalem Alexandrum locis præcipue nuper citatis permulta scitu dignissima congegit Anonymus Auctor libri: *Histoire du droit canonique tom. 2. cap. 20.* et *in diss. eidem adnexa sur le droit des Souverains.*

§. XCVIII.

*Sancta est majestas civilis et inviolabilis, ex sacris litteris.*

Adeo vero Reges moveri gradu suo regnisque spoliari non possunt, ut nefas sit Christiano adversus illos vi, vel religionis causa uti. Auctorem habeo doctrinæ istius ipsum *Apostolum Petrum*, qui, quum nōs sub-

jectos esse jubet, sive Regi tamquam præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis: quia sic est voluntas Dei: *Servi, ait (1), subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Ac ne quis hoc de solis dictum dominis putet, Augustinus vetat, id ipsum de omnibus Regibus interpretans his verbis (2): *Ille forte impius est et iniquus, tu jam fidelis et justus: indignum est, ut justus et fidelis serviat iniquo et infideli: Quod autem dixi de domino et servo, hoc intelligite de potestatibus et Regibus, de omnibus culminibus hujus sæculi.* Aliquando enim potestates bonæ sunt et timent Deum; aliquando non timent Deum. Julianus exstitit infidelis Imperator, exstitit apostata, iniquus et idololatra. Milites Christiani servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in celo erat. Si quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum, quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à domino temporali: et tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali. In eundem sensum accepit D. Thomas (3): *Si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis exponere periculis mortis: Sed hoc apostolicæ doctrinæ non congruit.* Docet enim nos Petrus, non bonis tantum et mo-

(1) I. Petr. II. 13. 18.

(2) In Psalm. CXXIV.

(3) In lib. ad Reg. Cypr. cap. 6.



destis, verum etiam discolis dominis reverenter subditos esse :::: Unde quum multi Romani Imperatores fidem Christi persequerentur tyrannice :::: non resistendo, sed mortem patienter et armati sustinentes pro Christo laudantur.

SCHOL. Germanum hunc S. Thomæ foetum esse erudite probat Echardus in *Bibl. Ordin. Prædicator.* tom. 1. pag. 337.

## §. XCIX.

*Exemplo Christianorum sub Imperatoribus ethnicis.*

Nec ab hoc Domini præcepto aliena fuit veterum Christianorum consuetudo, optima illius interpres. Nam etsi pessimi interdum homines imperium obtinerent; nec deessent, qui liberandæ reipublicæ obtentu in eorum perniciem conjurabant: eo tamen semper erga crudelissimos etiam fidei persecutores obsequio fuerunt Christiani, ut nefas sibi ducerent, non dicam moliri quidquam in Principes suos, sed ne velle quidem male iis, quibus se Deus ipse subjecisset. *Idem sumus Imperatoribus*, ait Tertullianus (1), *qui et vicinis nostris. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex æquo vetatur. Quodcumque non licet in Imperatorem, id ne in quemquam. Quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est. Idem in libro adversus Scapulam (2): Christianus, inquit, nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit :::: Itaque et sacrificamus pro salute Imperatoris. Unde quum sæpe Christiani læsæ majestatis rei agerentur ab*

(1) *Apol. cap. 36.*

(2) *Cap. 2.*

inimicis, eam calumniam non Tertullianus modo (1), verum alii quoque ejus ætatis Patres tamquam à Christiana religione prorsus alienam summo studio repellent, contestantes palam, nihil magis à Christianorum pietate abhorrere, quam esse quemquam Imperatori suo inimicum. *Jubet enim Scriptura sacra*, inquit Theophilus Antiochenus (2), *ut magistratibus et potestatibus subjiciamur, ac pro iis precemur, ut tranquillam et pacatam vitam agamus. Ac omnibus omnia reddere docet; cui honorem, honorem; cui timorem, timorem; cui tributum, tributum: nec quidquam ulli debere, nisi ut diligamus omnes.*

SCHOL. *Quare Christianis veteribus (Grotii verba sunt de jure belli et pac. lib. 1. cap. 4. §. 7. n. 9.) qui recentes ab Apostolorum et apostolicorum virorum disciplina eorum præscripta et intelligebant melius et perfectius implebant, summam injuriam fieri puto ab iis, qui quo minus ipsi se defenderent in certissimo mortis periculo, vires putant illis, non animum defuisse. Imprudens certe et impudens fuisset Tertullianus, si apud Imperatores, qui ejus rei ignari esse non poterant, ita confidenter ausus esset mentiri. (Apol. cap. 37.) Si enim hostes et apertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimirum Mauri et Marcomani ipsique Parthi, vel quantæcumque unius tamen loci et suorum finium gentes, quam totius orbis? Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuisset, etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere? Vide etiam Cyprianum ad Demetr. et Augustin. de civit. Dei lib. 22.*

(1) *Apol. cap. 35.*

(2) *Lib. 3. ad Autolyicum.*



## §. C.

*Exemplo eorundem sub Imperatoribus Christianis.*

Quod si quis autem id factum ideo contendat, quod nulla esset Ecclesiae in Cæsares ethnicos potestas; aliam vero esse rationem in his, qui fidem professi ejus se auctoritati, quam contemnunt, subjecerunt: eum ego velim meminisse non tantum sub *Juliano*, *Constantio*, *Valente*, *Gothorum*, deinde *Longobardorum* Regibus Ecclesia Christiana quid egerit, verum etiam quid docuerit. *Juliano* nuper *Augustinum* testem audivimus qua fide Christiani milites servierint. (§. XCVIII.) Ad do huic *Gregorium Nazianzenum* (1): *Ceterum*, inquit, *Dei clementia inhibitus atque repressus est Christianorumque lacrymis*, quas multas multi perfuderunt, quod solum adversus persecutorem remedium est. Solum, inquam, *Ambrosio* etiam teste (2): *Coactus repugnare non novi: dolere potero, potero flere, potero gemere: adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymae meae arma sunt :::: Aliter nec debeo, nec possum resistere*. Itaque exploratum est, in ea semper Christianos omnes sententia fuisse, ut minime sibi licere crederent, obtentu religionis persecutionisve Regum se ac Principum imperio subducere, tametsi vires ad audendum perficiendumque non deessent. *Unum est*, inquit *Gregorius M.* (3), *quod breviter suggeras serenissimis dominis nostris, quia si ego servus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.*

(1) *Orat. 1. in Julian.*(2) *Orat. ad Auxent.*(3) *Epist. ad Sabinian. lib. 4. epist. 47. alias lib. 7. epist. 1.*

SCHOL. Conf. *Du-Pin cit. diss. cap. 2. §. 3.* Insignis est canon 75. concilii Toletani IV. sub *S. Isidoro* celebrati ann. 633. quem, non possum, quin hoc loco adscribam: *Servemus erga Deum religionis cultum cum timore: custodiamus erga Principes nostros pollicitam fidem atque sponsonem: non sit in nobis, sicut in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdola mentis perfidia, non perjurii nefas, nec conjurationum nefanda molimina. Nullus apud nos presumptione regnum arripiat: nullus excitet mutuas seditiones civium: nemo meditetur interitus Regum.* Ad do quod *S. Bernardus* in *epist. 170.* ad *Ludovicum Regem Gallorum* scriptum reliquit: *Si totus orbis adversum me conjuraret, ut quidpiam molirer adversus regiam majestatem; ego tamen Deum timerem, et ordinatum ab eo Regem offendere temere non auderem. Nec enim ignoro ubi legerim: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

## §. LI.

*In temporalibus imperio civili etiam clerici divino jure subsunt.*

Quod obediendi præceptum Christianis diligenter *Petrus* commendabat (§. XCVIII.), idem *Paulus* aliquoties repetit, disertissime vero in epistola ad *Romanos* (1), quum ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* Itaque qui resistit potestati, *Dei ordinationi resistit ::::* Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quo quidem præcepto non est dubium clericos non minus quam laicos contineri. *Apostolo* enim non de potestate quacumque, verum ea, quæ Principum est, ac civilis, hoc loco sermonem esse

(1) *Cap. 13.*